



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXV. An tres personæ æquales sint in omnipotentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Ad secundū.

sed etiam essentia tali proprietate determinata, & hanc diximus esse potentiam generandi. Secundū vero nullius momenti est, aut contra mysteriū nostrā fidei probat. Nam si idcirco paternitas diceretur imperfecta, quia daret esse, & non operari: & ideo deberemus assignare ei generationem, tanquam facultati generanti, sequeretur processione, quæ ponitur proprietas Spiritus & esse formam imperfectam, quia nullo modo tribuit Spiritui S. operationem ullam, cum non sit principium producendi aliquid extra nec intra Deum. Respondemus igitur etiam si proprietas non tribuat personæ operationem, esse nihilominus perfectionem illius, quia ad complementum personæ nostro modo intelligendi pertinet: nec enim omnis perfectio alicuius debet ei tribuere virtutem producendi. Ad tertium vero argumentum Durand. ex dictis patet solutio.

Ad tertium.

Ad rationē quartā sententia.

Ad argumentum autem Scoti adductum in 2. c. dicimus, si Deus produceret alium Deum, tunc vere fore assignandam ut facultatem generandi essentiam Dei, quia produciens alium Deum produceret aliam essentiam, cuius posset esse principium. Nam principium debet distinguere à re producta: idem enim non potest seipsum producere. Nunc vero, quia Deus producit Deum in eadem natura, ipsa natura secundum se nequit esse principium, quia à re producta non distinguitur. Addimus ergo illam determinationem proprietatis personalis, secundum quam distinguitur à re producta, ut possit esse principium.

DISPUT. CLXV.

An tres personæ æquales sint in omnipotentia.

Varia Scholasticorum placita, cap. 1.
Vera sententia, cap. 2.

CAPVT I.

Varia Scholasticorum placita.

Prima opinio. Omnipotentia, ut insinuat etiam potentiam generandi. & spirandi esse in omnibus personis.

Controversia hæc ex præcedenti, & ex his, quæ diximus disput. 104. facile poterat expediri; sed quia Scholastici forsan de sola voce differentes, variè opinati sunt, eorum sententias in hoc cap. enumerare, & sequenti aliquid pro vera illius explanatione breuiter dicere necesse fuit.

Primum igitur Marsilius in 1. p. 23. art. 2. part. 2. sentit, sub omnipotentia contineri potentiam generandi & spirandi; cumque dicat, potentiam generandi & spirandi esse in omnibus personis, ut præcedenti disput. c. ult. retulimus; asserit etiam, omnipotentiam, quatenus hoc modo sub se includit potentiam generandi & spirandi, esse in omnibus personis, licet in omnibus non possit generare & spirare. Marsilio consentit *Canariensis*. in comment. art. 6. quæst. seq. Cum asserit, omnem potentiam, quam habet pater, esse in filio; quamvis filius non possit media illa generare, sicut pater. Ut autem hoc explicet videtur exemplis, quibus usus est Marsilius c. ult. superioris disp. ad explicandum quomodo in filio esset potentia generandi, & generare non posset: & addit aliud huiusmodi. Si idem calor esset in viro, & muliere, in muliere generaret lac, in viro non: nihilominus ait, potentiam ad generandum, quam generatiuum vocant, filio non esse concedendam.

Ceterum, cum iam supra probatum sit in illo cap. potentiam generantem non esse in filio, nec in spirantem in Spiritu sancto, si omnipotentia sub se comprehenderet omnem potentiam, etiam producentem intra Deum, sequeretur omnipotentiam non esse in quolibet persona, quia aliqua potentia non est in aliqua persona. Porro exempla illa, quibus usus est Marsilius eodem cap. satis impugnata sunt, atque eodem pacto refelli possunt illud, quo Canar. vitur. Nam idem calor in viro & muliere ideo non haberet eandem virtutem operandi, quia non esset coniunctus eidem substantiæ, cuius est instrumentum: nec enim calor est tota causa producendi lac, sed quia coniunctus est tali formæ, vel certe tali temperamento, quod ut causa per se etiam requiritur. At vero essentia diuina solum differt, quia est in diuersis suppositis, quare si ipsa esset tota ratio potentie generantis, sequeretur vbiunque esset, ibi etiam generantem. Miror tamen, cur Canar. dicat omnipotentiam etiam si sub se comprehenderet potentiam producentem intra Deum, esse in quolibet persona, cum tamen non concedat potentiam generantem, & spirantem in quolibet.

Secundo S. Thom. quæst. 42. artic. 6. ad 3. & Item, 4. contra gentes cap. 13. ut defendant tres personæ esse æquales in potentia, concedunt potentiam quæ est in patre, esse in filio, sed sub diuerso respectu: nam in patre est, ut generet, in filio vero ut generetur: & hoc satis esse, ut dicatur æqualis potentia. Verum, cum solum difficultas propofita sit de potentia ad agendum vel producendum, quæ dicitur actiua, non de passiva, ut produciuntur aliquid, non videtur eo modo sufficienter responderi. Nam si aliqua potentia actiua non est in filio sequitur, omnes personas non esse æquales in potentia ad agendum: & quidem omnipotentia, de qua quærimus, an æque sit in omnibus personis, non est ad patiendum, sed ad agendum, ut idem S. Thom. faceret supra q. 25. art. 3. ad 1. Hæc ratione conuictus Durandus putat alio modo satisfaciendum esse difficultati propofite.

Tertio Thom. de Argent. & Algildus de Romanis, ut refert Scotus loco inferius citando, asserunt, ita in filio esse omnipotentiam, sicut in patre, & in Spiritu sancto, etiam si filius non possit generare, nec Spiritus sanctus spirare; non quod omnipotentia sit tunc respectu eorum, quæ extra Deum esse possunt; sed etiam si sit respectu eorum, quæ intra Deum possunt produci, quia omnipotentia in vniuersum fertur ad ea tantum, quæ fieri non implicat contradictionem, Nec villo modo derogat omnipotentia, aut minuit eius virtutem, si producere nequeat, quæ implicat contradictionem: ergo cum implicet contradictionem aliam, filium diuinum à filio generari, & alium Spiritum sanctum à Spiritu sancto produci, omnipotentia ipsorum vniuersum considerat, nihil obstat, non posse generare, aut spirare, quia omnipotentia est respectu eorum, quæ non implicant contradictionem.

Assignat vero discrimen inter actionem transeuntem, & immanentem, quia omnis actio transeuntes, vel effectus illius, qui ex se absolute consideratus, non respectu agentis, non implicat contradictionem, cadit sub omnipotentia: tamen, ut actio immanens dicatur cadere sub omnipotentia, non satis est, si in se considerata non implicat contradictionem.

et contradictionem, & ab alio fieri possit, sed possibilitas illius, ut cadat sub omnipotentiam, considerari debet respectu agentis: ergo cum generatio filij sit actio immanens, & solum, respectu patris generantis possibilis sit, solum cadere debet sub omnipotentiam patris, non sub omnipotentiam ut est filij. Hac igitur ratione ab omnipotentia filij non posse generari alium filium nihil obstat, quominus sit omnipotentia. Præterea illud tantum dicitur impotens, vel aliqua carere potentia ad operandum, quod cum habeat formam ex se idoneam ad operandum, operari nequit: id vero, quod non potest operari, quia formam non habet, non dicitur impotens. Quare filium non posse generare alium filium non est impotentia, quia non potest generare, eo quod non habeat formam ex se idoneam: ergo hoc nihil eius omnipotentie derogabit.

Hanc sententiam refellit Durand. in 1. d. 10. qu. 1. m. 6. quia omnipotentia dicitur respectu eorum, quæ non implicant contradictionem absolute in se, non respectu efficientis, ut optime notavit S. Thom. supra q. 25. art. 3. nam si ad ea tantum referretur, quæ non implicant contradictionem respectu potentie, & efficientis, inutilis quidam circulus fieret, ut ibi notavit S. Thom. & nos etiã disput. 104. cap. 4. explicauimus. Quod si prædicta sententia vera esset, quicumque homo, imo etiam animal quodcumque, vere diceretur omnipotens respectu saltem actionum immanentium; quia potest facere quacumque actionem possibilem a se fieri. Deinde eandem sententiam impugnatur Scotus in 1. d. 20. q. 1. hac ratione, Si non comparemus filium & actum generationis ad aliquod suppositum in particulari, sed communiter, possibile est generatio, & filius similiter: ergo respectu illius est aliqua potentia, quare si hæc potentia non est in filio, consequitur in filio non esse omnem potentiam, ac proinde eum non esse omnipotentem.

Sed obijciat aliquis contra Scotum. Visio corporea est actio quedam, quæ in se non implicat contradictionem: ut sit: eam tamen non potest solus Deus facere, & nihilominus dicitur omnipotens: ergo omnipotentia non debet comparari ad omnia, quæ in se non implicant contradictionem absolute, sed respectu eam ipsius omnipotentiam dici respectu omnium, quæ absolute in se non implicant contradictionem, ita tamen, ut illud ab omnipotentia producat, sicut natura sua postulat produci: si enim est substantia, ut nata est per se subsistere, sic debet produci, non in alio: si autem accidens necessario pendens à subiecto, quatenus est actio vitalis, sic à Deo debet produci simul subiecto etiam concurrenter: & ita Deus attingit sua virtute esse illius.

Tandem arguit Scotus, quamvis id, quod habet formam limitatam, non possit dici impotens, sicut ignis non dicitur impotens, quia non producit frigus: tamen non dicitur omnipotens, quia potest omnia illa, ad quæ formam habet: ergo non recte argumentantur prædicti Do-

Multo facilius & probabilior est opinio Scoti, & durandi locis citatis, *Gub in 1. d. Durand. illa 20. q. 1. Gregorij q. 1. art. 2. Caiet supra q. 25. art. 3. Gabr. Maior in 1. d. 20. q. 1. proposuit. 4. nempe tres personæ esse æque omnipotentes. Sumunt enim attributum omnipotentie non pro quavis potentia, quæ intra Deum etiam potest producere, sed respectu creaturarum extra Deum, sicut accepit Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. ubi sic ait, In eo intelligitur omnipotentia Dei, quia omnem creaturam visibilem de nihilo fecit. Durandus id probat hac ratione, quia omnipotentia idem est, quod potentia ad agendum, non autem ut aliquid sit: quare Deus non dicitur omnipotens, quia possit esse, sed quia possit operari: ergo respectu illius operationis non est potentia, quæ est esse ipsius operationis; sed generatio est esse Dei: ergo respectu illius non est omnipotentia. Verum hæc ratio destruit id quod posueramus disput. 163. in Deo videlicet esse vere potentiam respectu actuum notionalium.*

Scotus vero probat, quia correlativum omnipotentie est possibile, atqui possibile est, quod potest esse, & non esse: ergo cum intra Deum non sit persona possibilis, non est omnipotentia respectu illius. Ceterum quamvis communiter dicatur illud possibile, quod potest esse & non esse, nihilominus tamē dicitur possibile, quod actu, & necessarium est: atque hoc satis est, ut respectu actuum notionalium vere sit potentia: ergo nihil obstat, quo minus etiam sit omnipotentia.

Vera igitur ratio prædictæ opinionis est quam indicavit S. Thom. q. 25. art. 3. & q. seq. art. 6. nimirum, omnipotentiam solum dici respectu creaturarum, & sic communiter usurpari: id quod hoc pacto probari potest. Eodem modo nunc Deus dicitur omnipotens, sicut dicebatur, antequam revelaretur mysterium Trinitatis: sed ante huius revelationem solum dicebatur omnipotens respectu creaturarum, & nulla cognoscebatur potentia respectu actuum notionalium: ergo nunc eodem modo dicitur. Quod si omnipotentia acciperetur pro potentia omni producendi aliquid tam intra Deum, quam extra, ego non video, qua ratione possemus dicere, omnipotentiam esse in tribus personis, ut argumenta facta cap. præcedenti demonstrant. Quare omnipotentiam ego non usurparem pro quacunque potentia, sed pro potentia omnium, quæ extra Deum produci possunt, sicut antiqui ante mysterium Trinitatis reuelatum acceperunt.

Est tamen argumentum desumptum ex verbis Augusti. 1. 3. contra Maximinum cap. 14. Si pater (inquit) genuit filium minorem: aut non potuit, aut non voluit gignere equalem: si autem dicitur, quod non voluit, eum inuidum esse dixisti: si autem non potuit, ubi est omnipotentia patris? Et paulo inferius, Si non potuit, infirmus fuit. Ut autem argumentum Aug. aliquid valeat, potentia generandi sub omnipotentia contineri debet, nam si non contineatur, interroganti Augusti. in suo argumento, Si autem non potuit, ubi est omnipotentia Patris? Facile responderet Maximinus, omnipotentia Patris est circa creaturas non circa personas æquales sibi producendas.

Huic argumento responderet Scotus loco citato, & quod-

9.

quodlib. 7. §. Ad primum argumentum. Augustinum argumentari ad hominem ex concessis à Maximino, non absolute ex natura rei; quia ille concedebat patrem communicasse filio deitatem, minorem tamen, quam ipse haberet: hinc ergo colligit patrem non esse omnipotentem, quia sequitur deitatem non esse infinitam, eo quod deitas quædam sit maior, quædam minor: infinitum autem non est maius & minus. Quod si deitas infinita non est, nec omnipotens erit, quia omnipotentia nascitur ex infinitate naturæ. Ceterum Scotus plane alio detorquet vim argumenti Aug. ille namque non colligit, ut Scotus putavit, sed hoc modo, Sed non potuit generare æqualem: ergo defuit ei aliqua potentia, ergo non est omnipotens.

Male sol-
vunt Scot.
et Greg.

Gregorius vero in dist. 20. qu. 1. art. 2. circa finem aliter expendit vim huius argumenti contra Maximinum. Inquit ergo, Maxim. asseruisse duo, ut ex eodem cap. constat, nempe & filium esse creaturam patris, & nihilominus esse vere naturalem filium illius. His positis arguit August. Cum reliqui filij sint natura sua æquales patribus, à quibus geniti sunt; cur filius Dei æqualis non fuit patri? Aut quia non potuit, & sic pater invidus fuit: aut quia non voluit, & ita non est omnipotens. Accipit autem August. (inquit Gregorius) omnipotentiam respectu creaturarum. Nam Maximinus filium Dei creaturam esse dicebat. At facile certe respondere posset Maximinus Deum non potuisse generare filium sibi æqualem, qui esset creatura: quia nulla creatura potest esse æqualis Deo, atque adeo nihil inde ipsius omnipotentia derogari.

10.
Vera solut.

Ego sane arbitror, August. non usurpasse omnipotentiam pro attributo essentia Dei, quod commune esse fateatur tribus personis; sic enim eius ratio nullius esset momenti: sed nomine omnipotentia intellexisse plenam & fecundam potentiam ad generandum, & arguit in hunc modum: Si filius natura sua postulat esse æqualis & consubstantialis patri, ut in rebus creatis videmus quibus fecunditatem ad generandum tribuimus, sequitur, patrem æternum genuisse filium sibi æqualem, aut fuisse invidum, si non genuit, cum posset; aut non fuisse plene fecundum, sicut est pater creatus ad generandum, quod est absurdum. Hoc ergo intulit, cum dixit, Si autem non potuit, ubi omnipotentia: hoc est, plena fecunditas. Mirro id, quod respondet S. Th. in q. seq. art. 6. ad 3. Nam difficultati propositæ non satis videtur.

ARTICVLVS VI.

Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.

219.

1. d. 7. q. 2.
art. 2. et in
lib. 2. post
q. 2. art. 1. ad
10. et art. 4.

Lib. 3. c. 12.
circa finem,
solum.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod actus notionalis ad plures personas terminari possit, ita quod sint plures personæ genitæ vel spiratæ in diuinis. Cuicumque enim inest potentia generandi, potest generare: Sed filio inest potentia generandi. Ergo potest generare: Non autem se ipsum. Ergo alium filium. Ergo possunt esse plures filij in diuinis.

ARTIC. VI.

2. Præterea August. dicit contra Maxim. Filius non genuit creatorem. Neque enim quia non potuit, sed quia non oportuit.

3. Præterea. Deus Pater est potentior ad generandum quam pater creatus. Sed vnus homo potest generare plures filios. Ergo & Deus. Præcipue cum potentia patris vno filio generatio non diminuat.

Sed contra est, quod in diuinis non differt esse & posse. Si igitur in diuinis possent esse plures filij, essent plures filij. Et ita essent plures personæ quam tres in diuinis. Quod est hæreticum.

Respondeo dicendum, quod sicut Athanas. dicit in diuinis est tantum vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus. Cuius quidem ratio quadruplex assignari potest. prima quidem ex parte relationum: quibus solum personæ distinguuntur. Cum enim personæ diuinæ sint ipse relationes subsistentes, non possent esse plures patres, vel plures filij in diuinis, nisi essent plures paternitates & plures filiationes. Quod quidem esse non possent nisi secundum materialem eorum distinctionem. Formæ enim vnus speciei non multiplicantur nisi secundum materiam: quæ in diuinis non est. Vnde in diuinis non potest esse nisi vna tantum filiatio subsistens, sicut & albedo subsistens non posset esse nisi vna. Secunda vero ex modo processionum: quia Deus omnia intelligit & vult vno & simplici actu. Vnde non potest esse nisi vna persona procedens per modum verbi quæ est filius: & vna tantum per modum amoris quæ est Spiritus sanctus. Tertia vero inimitur ex modi procedendi, quia personæ ipsæ procedunt naturaliter, ut dictum est. Natura autem determinatur ad vnum. Quarta ex perfectione diuinarum personarum. Ex hoc enim est perfectus filius, quod tota filiatio diuina in eo continetur, & quod est tantum vnus filius. Et similiter dicendum est de alijs personis.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis simpliciter concedendum sit, quod potentiam quam habet pater, habeat filius, non tamen concedendum est, quod filius habeat potentiam generandi, si generandi sit gerendum verbi actui, ut sit sensus, quod filius habeat potentiam ad generandum: Sicut licet idem esse sit patris & filij: non tamen conuenit filio esse patrem propter notionale adiunctum. Si tamen hoc quod dico generandi, sit gerendum

dum verbi passiui, potentia generandi, est in filio, id est, vt generetur. Et similiter si sit gerundium verbi impersonalis, vt sit sensus, potentia generandi, id est, qua ab aliqua persona generatur.

Ad secundum dicendum, quod Aug. in verbis illis non intendit dicere, quod filius posset generare filium: sed quod hoc non est ex impotentia filij quod non generet, vt infra patebit.

Ad tertium dicendum, quod immaterialitas & perfectio diuina requirit, vt non possint esse plures filij in diuinis, sicut dictum est. Vnde quod non sint plures filij, non est ex impotentia patris ad generandum.

CONCLVSIO articuli negat, & est de fide in simbolo Athanasij expressa. Vnus filius, non tres filij: vnus spiritus sanctus, non tres spiritus sancti. Hanc vero probat S. Doctor quatuor rationibus congruentibus, quas suse impugnat Scotus quod lib. 2. & Aureolus in 1. dist. 7. q. 2. art. 1. vt refertur à Capreolo, eas autem defendunt Caietan. & Canar. aliique recentiores in hunc art. Capreolus in 1. d. 7. q. 2. & Ferrar. 4. contra gentes c. 13. in principio. Occasione vero cuiusdam illarum fuisus disputat Caietanus de principio individuationis. Henricus autem quodlibet 6. q. 1. & Scotus loco citato alias adducunt rationes, nulla tamen earum conuincit, sed omnes congruenter solum probant hanc veritatem. Est enim super naturalem rationem, & quæ sola fide, sicut mysterium ipsum trinum personarum in vna natura, constare potest.

QVÆSTIO XLII.

De aequalitate, & similitudine diuinarum personarum ad inuicem.

DEinde considerandum est de comparatione personarum ad inuicem. Et primo quantum ad aequalitatem & similitudinem. Secundo quantum ad missionem.

Circa primum quæruntur sex.

De hac materia Doctores in 1. dist. 19.

ARTICVLVS I.

Vtrum aequalitas locum habeat in diuinis.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod aequalitas non competat diuinis personis: aequalitas enim attenditur secundum vnum in quantitate, vt patet per philosophum 5. Metaph. In diuinis autem personis non inuenitur, neque quantitas continuo intrinseca, quæ dicitur magnitudo: neque quantitas continuo extrinseca, quæ dicitur locus & tempus: neque secundum quantitatem

ARTIC. I.

321

discretam inuenitur in eis aequalitas, quia duæ personæ sunt plures quam vna. Ergo diuinis personis non conuenit aequalitas.

2. Præterea. Diuinæ personæ sunt vnius essentiae, vt supra dictum est. Essentia autem significatur per modum formæ: conuenientia autem in forma non facit aequalitatem, sed similitudinem. Ergo in diuinis personis est dicenda similitudo, & non aequalitas.

3. Præterea. In quibuscunque inuenitur aequalitas, illa sunt sibi inuicem æqualia: quia æquale dicitur æquali æquale. Sed diuinæ personæ non possunt sibi inuicem dici æquales. Quia vt Augustinus dicit 6. de Trinit. imago, si perfecte implet illud cuius est imago, ipsa coæquatur ei: non illud imaginis suæ. Imago autem patris est filius. Et sic pater non est æqualis filio. Non ergo in diuinis personis inuenitur aequalitas.

4. Præterea. Aequalitas relatio quædam est: sed nulla relatio est communis omnibus personis, cum secundum relationes personæ ab inuicem distinguantur. Non ergo aequalitas diuinis personis conuenit.

Sed contra est, quod Athanasius dicit, quod tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.

Respondetur dicendum, quod necesse est ponere aequalitatem in diuinis personis. Quia secundum Philosophum 10. Metaph. æquale dicitur quali per negationem minoris & maioris. Non autem possumus in diuinis personis ponere aliquid maius & minus. Quia vt Boetius dicit in libr. de Trinit. eos differentia, scilicet, deitatis, comitatur, qui vel augent vel minuunt, vt Arri. qui gradibus numerorum Trinitatem variantes distrahant, atque in pluralitatem deducunt. Cuius ratio est: quia inæqualium non potest esse vna quantitas numero. Quantitas autem in diuinis non est aliud quam eius essentia. Vnde relinquitur, quod si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, quod non esset in eis vna essentia. Et sic non essent tres personæ vnus Deus. Quod est impossibile. Oportet igitur aequalitatem ponere in diuinis personis.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est quantitas. Vna, scilicet, quæ dicitur quantitas molis, vel quantitas dimensionis, quæ in solis rebus corporalibus est. Vnde in diuinis personis locum non habet. Sed alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundum perfectionem alicuius naturæ, vel formæ. Quæ quidem quantitas

239 ar. 2

Lib. 6. de Trin. c. 10. par. 1. a prim. tom. 3.

In suo simbolo sicut.

Lib. 10. Metaph. cap. 15. 17. & 17. 10. 3.

In lib. de Trin. paulo a prim.

titas designatur secundum quod dicitur aliquid magis vel minus calidum, inquantum est perfectius vel minus perfectum in tali caliditate. Huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur primo quidem in radice, id est, in ipsa perfectione formæ, vel naturæ: & sic dicitur magnitudo spiritualis: sicut dicitur magnus calor propter suam intensiorem & perfectionem. Et ideo dicit August. 6. de Trinit. quod in his quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse. Nam melius dicitur quod perfectius est. Secundo autem attenditur quantitas virtualis in effectibus formæ. Primus autem effectus formæ est esse. Nam omnis res habet esse secundum suam formam. Secundus autem effectus est operatio. Nam omne agens agit per suam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis & secundum esse, & secundum operationem. Secundum esse quidem, inquantum ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt maioris durationis. Secundum operationem vero, inquantum ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt magis potentia ad agendum. Sic igitur, ut August. dicit in lib. de fide ad Petrum. Æqualitas intelligitur in patre & filio & Spiritu sancto, inquantum nullus horum aut præcedit æternitatem, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.

Ad secundum dicendum, quod ubi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtutalem, æqualitas includit in se similitudinem & aliquid plus: quia excludit excessum. Quæcunque enim communicant in una forma, possunt dici similia, etiam si in æqualiter illam formam participant, sicut si dicatur aer esse similis igni in calore. Sed non possunt dici æqualia, si vnum altero perfectius formam illam participet. Et quia non solum una est natura patris & filij, sed etiam æque perfecte est in utroque: ideo non solum dicimus filium esse similem patri, ut excludatur error Eunomij, sed etiam dicimus æqualem, ut excludatur error Arrij.

Ad tertium dicendum, quod æqualitas vel similitudo dupliciter potest significari in diuinis, scilicet per nomina, & per verba. Secundum quidem quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in diuinis personis, & similitudo. Filius enim est æqualis & similis patri, & è conuerso. Et hoc ideo: quia essentia diuina non magis est patris quam filij. Unde sicut filius habet magnitudinem patris, quod est esse eum æqualem patri: ita pater habet magnitudinem filij, quod est

esse eum æqualem filio. Sed quantum ad creaturas (ut Dionys. dicit 9. c. de diuin. nomin.) non recipitur conuersio æqualitatis & similitudinis. Dicuntur enim causata similia causis inquantum habent formam causarum, sed non è conuerso, quia forma principaliter est in causa & secundario in causato. Sed verba significant æqualitatem cum motu. Et licet motus non sit in diuinis, est tamen ibi, accipere. Quia filius accipit à patre, unde est equalis ei: & non è conuerso.

Ad quartum dicendum, quod in diuinis personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant, & relationes in quibus distinguuntur. Æqualitas autem vtrunque importat, scilicet distinctionem personarum, quia nihil sibi ipsi dicitur æquale: & vnitatem essentiae quia ex hoc personæ sunt sibi inuicem æquales, quia sunt vnius magnitudinis, & essentiae. Manifestum est autem quod idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum una relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem & filiationem. Quia utroque modo relatio multiplicaretur in infinitum. Et ideo æqualitas & similitudo in diuinis personis non est aliqua realis relatio distincta, à relationibus personalibus, sed in suo intellectu includit & relationes distinguentes personas & essentiae vnitatem. Et propterea magister dicit in 31. distinct. 1. sent. quod in his appellatio tantum est relatiua.

CONCLUSIO est affirmans, expressa in Symbolo Achanasij, Tres persone coeternæ sibi sunt & coæquales: quædam tamen circa maiorem alius, & totius doctrine articuli explicationem disputat. seq. notanda sunt.

DISPUTATIO CLXVI.

An relatio æqualitatis, similitudinis, & identitatis inter personas sit realis.

Scotus putat, esse has relationes reales. cap. 1.
Has relationes tantum esse rationis, probabilior opinio fuit, varie tamen probatur. c. 2.

Optima ratione præcedens sententia confirmatur. c. 3.

Oppositio contra rationem prædictam. c. 4.

Corollarium eius controuersie. c. 5.

Lib. 6. de
Trinit. c. 8.
circa med.
som. 3.